

* I * H * V * S *



~~G. # 13.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-23.

SIGNAT. clv̄iscccxiii.

Einzelner versetzt 1941.

Stückzahl erled.



PENTAS
QUÆSTIONUM ILLUSTRUM
CONTROVERSARUM

458
72

De
PRÆDESTINATIONE

Quam

Cælesti favente gratia
In celeberrima Universitate VVittebergensi

SUB PRÆSIDIO
Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi
Viri,

Dn. BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theologiæ Doct. & Profefs. Publici,
Fautoris, Præceptoris ac promotoris sui
æternum suspiciendi.

Ventilandam exhibet

GEORGIUS CULMANNUS
Strassenlimbaco-Westriac, Palatin.

In Auditorio Minore, horis Pomeridianis
Ad diem 27. Januarij.

⚔(⋅)⚔

VVITEBERGÆ
Typis IOHANNIS GORMANNI.

Anno M. DC. XXII.

Magnifico, admodum Reverendo, Nobilissimo, Ex-
cellentissimoq; Viro,

Dn. MATTHIÆ HOE ab Hoenegg, S. S. Theologiæ Do-
ctori celeberrimo, Comiti Palatino Cæsareo, nec non serenissimo.
Dn. Elect. Sax. à concionibus primarijs aulicis, confes-
sionibus sacris & consiliis Ecclesiasticis.

NEC NON

Magnifico & Amplissimo Viro,

Dn. LEONHARDO COPPELIO U. J. D. Consultissimo, Se-
renissimi Saxonix Electoris consiliario, & supremi Consisto-
rij Ecclesiastici, quod Dresdæ est, Adfessori meri-
tissimo, dignissimo.

UT ET

Clarissimo, Consultissimo, Excellentissimoq; Viro,

Dn. JOANNI AVENARIO U. J. Licenciato, Oratoriæ facultatis
in Academia Wittebergensi Professori Publico.

JUXTA

Clarissimo, Excellentissimoq; Viro,

Dn. BALTHASARI HETTENBACHIO Medicinæ facultatis
Doctore Experimentissimo.

QUIN

Reverendis & Clarissimis Viris,

Dn. MICHAELI ARTOPÆO Ecclesiæ Trarbacensis ad Mosel-
lam Pastori dignissimo, Ecclesiarumq; citerioris Ducatus
Spanheimensis Inspectori vigilantissimo.

Dn. JEREMIÆ HEIDERICHIO Orthio Diæceseos Castelu-
nianæ Ecclesiæ primariò.

*Dominis Patronis ac promotoribus suis omni observantia cultu
honorandis primitias hæc Theologicas Lutheran. submisit
offert & dedicat.*

GEORGIUS CULMANNUS

Divine Mystes, tergemino, COMES
Sacri PALATI, numine, CÆSARIS
Clamate, nuper FERDINANDI,

Aoniū populiq; plausu:

Quem præter omnes enthea vis movet

Celestium, quem Theologūm probè

Pbenica signare universi

Quadrifidis poterunt in oris:

Quæ dedicavi munera nomini

Tuo, benignâ suscipe dexterâ

Inter catenatas sacratæ

Eusebies, sôphiæq; curas:

Me, quantus hic sum, deo voveo Deo

Tibiq; Musas si facili meas

Digneris aurâ, nec paratum

Limine submoveas clientem.

Hæc fixa clavo spes adamantino

Sit firma, Sic te CÆSAREE ò COMES

Jehova noster sospitabit,

Sic tua, tinnula est entheata

Per ora vatū, gloria posthuma

Volabit; orbis sic patulus tuos

Natos videbit æviterni

Cæsarei Comites PALATI.

SEPTENVIRALIS vos THEMIDOS Patres

Arbitri, qui rebus in asperis

A 2

Sola-



Solamen estis derelictis
Haud genio renuente Musis:
Et juxta Magnitu Podalirij
Magne ô Nepos: vos ô venerabiles
Viri Jéhovæ, seculi, omnes
Aurea lumina, nunc vigentis:
Vestris, PATRONI, nominibus pari
Clientis ausu, quin veteri notâ
Vestri favoris, dedicatas
Theologas adamate chartas:
Audere sacras ire per orbitas
Non est bomulli cortice terreo
Circum voluti, ni favore
Ad juga tanta viaticatus
Eat profectus. Me quoq, si favor
Armarit usu pensior igneo,
Audebo telam cultiore
Texere Theologam minervâ:
Quàm me beatum, CÆSAREI COMES
PALATI, ordo cui venerabilis
Et inclutus favebit. Hacce
Summa precis licitiq, voti est.

Si



I Christianæ ullus est Orthodoxias
 articulus, VIRI CALVINIANI, qui
 religionem vestram nobis ORTHODOXIS
 exosam suspectamque reddere satagit,
 (reddunt autem omnes) hic, prædesti-
 nationem & Reprobationem absolutã,
 extra sacrarum litterarum pomœria im-
 piè & stoicè à vobis excogitatam invol-
 vens, meritò habetur. Quàm enim, me Christe, animos homi-
 num titubantes in dubia cogitationum suspendicula conjicit,
 quàm ad desperationum præcipitia exponit, quàm ad conscien-
 tiarum torturas exitio æviterno devolvit; dum Deum aliud verbo
declarare, aliud sentire fingit, ut, qui absoluto quodam & occulto om-
nesq; causas antegrediente decreto paucos quosdam, ad vitam æternam
elegerit, reliquam verò maximam mundi partem ad æternam damnatio-
nem ex solo & merò beneplacito voluntatis sue destinaverit. Unde qui-
 dam, olim Lutheranus, nunc verò Apostata, Calvinianus puta
 Superintendens, vir magni apud suos gregales nominis, horren-
 dum pudendumq; hocce dogma ficulneo perizomate tegere sa-
 tagens, qua religione tactus nescio, vel ut ulcus hominis tangam,
 sauciata conscientia moribus absterritus, sursum jactis ad præ-
 destinatorem suspiriis, judicat; *Prædestinationis doctrinam ejus esse*
generis que omnibus in Ecclesie cætu nec provulganda, nec promulganda
veniat, Theodoro Beza disputationem hanc Mompelgardi An-
 no 1586, detrectanti certè succenturians; qui Beza nihilominus
 à priori ex abscondita Dei voluntate mysterium hoc scrutatur,
 de æterno Dei decreto & ejus temporali executione tam pro-
 lixè differens, ut visus fuerit in ariano illo consilio Dei adsedisse, & non
 modo omnia coram audivisse, que sancta Trinitas, pater cum filio, & Spi-
 ritu S. de creatione hominis deliberaverit, sed etiam consiliarius eorum
 fuisse, dicente Jacobo Andrea pag. 438. Cui, jucundam hanc per-
 pello phrenesin, idem illud, quod Diogenes à quopiam de rebus
 celestibus ostentationis ergò differente ad redarguendam ejus

ὁ ζῶντων quæsiuit, quàm nuper de celo venisti: illudq; Ecclesiasti-
ci c. 3. 22. Difficiliora te ne quaras, merito objici occinque potest.
Lampadius quidem Calvinianus Bremensis, ut videre est in E-
lencho ipsius Prodromi à Webero conscripto Orthodoxorum
lingua, non mente à posteriori contendit prædestinationem esse docen-
dam pro suggesto ad populum, idq; vel tantum, vel præcipue: cui Lugdu-
nenses & alij contradicunt, ceu blasphemam vocem execran-
tes; agè Lampadi: argumentamur ita: Apostolus Rom. 9. de
prædestinatione loquitur aut prioristice, seu, ut tu mavis, Syn-
theticè, aut posterioristice, seu analyticè: non hoc modo, ut u-
nanimè ajunt tui sociiennes; illo ergò; cur igitur Apostolus pa-
lam, quod tu in occulto: alij, arduam esse doctrinam prædestinationis,
quam non omnes capiant, in concionibus itaq; ad populum non esse propo-
nendam. Ego sic interpretor: *Dogma Calvinisticum tam
esse horrendum, ut coram populo audiri nõ debeat.*

Verum enim verò obscurorum hominum hæc sunt judi-
cia, parum attendentiùm Apostoli illud divinum effatũ Rom. 15.
v. 4. *Quæcunq; scripta sunt ad doctrinam nostram scripta sunt, ut per
patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus:* Et augusti
aureum illud Augustini: *dicatur verum, maxime ubi aliqua quæstio,
ut dicatur, impellit, & capiant, qui possunt, ne forte cum taceatur, pro-
pter eos qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum et-
iam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt:*
addimus Novatian. lib. de Trinit. cap. 12. abinit. *Cur ergo dubite-
mus dicere, quod scriptura non dubitat exprimere, cur hæsitabit fidei ve-
ritas, in quo scriptura nunquam hæsitavit auctoritas.*

Cum itaque doctrina prædestinationis in scriptura sacra
idq; in Evangelio non in lege (lex siquidem iram operatur, di-
cente Apostolo) à Spiritu Sancto evoluta, silentij nube neuti-
quam involvenda sit, nobisque causa *ωροντα εχτινη* unica reli-
quarum Calvinise quarum positionum fallacias accuratius in-
quirendi, conversionisq; orthodoxæ cardo unicus extiterit: a-
gedum sub disquisitionem talem, qualem ingenij tenuitas patie-
tur, vocabimus, ejusq; negotium totum in quæstiones quinque
majoris perspicuitatis ergo dispescemus.

Esto

Esse 1. Num prædestinatio duas sub se contineat species Electionem & Reprobationem. 2. Num prædestinatio sit absoluta. 3. Num Reprobatio sit absoluta. 4. Num Deus omnes homines serio velit salvos fieri. 5. Num meritum Christi sit universale. De quibus singulis quam brevissimè de Jodoxiâ nostram confirmando et egoxiâ verò Calvinisticam refutando differemus.

QUÆSTIO I.

Num prædestinatio duas sub se contineat species Electionem & Reprobationem.

I.

Affirmativam sententiam mordicus tuentur funestissimi Calvini asseclæ, Geneventes, Basileenses, Lausanenses, Angli, & alij, è posteriorum medio Piscator Herborn. Vol. 1. Loc. 19. th. 9. inquit; *Prædestinatio duas habet species, Electionem & Reprobationem*: consentit Bucan. in instit. pag. 416. 422. Polan. in part. pag. 37. 38. Sohn. tom. 1. pag. 256. Concordat Ursin. pag. 407. *Prædestinationis partes sunt, Electio & Reprobatio.* Similis error Calvini est, Electionem constituentis geminam aliam ad vitam, aliam ad mortem; Heidelbergenses gentiles mei vertunt *Gnadenwahl/ vnd Zornwahl/* qua parte discipuli ipsis contradicunt se sacrae scripturae testimonijs destitui videntes.

II.

Negativam nos unanimi consensu hoc fundamento freti tuemur, quia sacrae litterae de personis loquentes nusquam prædestinationis vocabulo nisi de Electis utuntur. Hinc paulus magnus ille gentium Doctor. Rom. 8. v. 30. ait: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, justificavit & glorificavit: At reprobos nec (dextrè fac intelligas scilicet & prothesin solos electos v. 28. indignantem) justificavit, nec glorificavit, ita ipsimet Adversarij. Ergo nec prædestinavit.*

III.

Amplius argumentamur: 1. Prædestinatio est fundamentum & pars Evangelij. At reprobatio non est pars Evangelij, sed Legalis.



Legalis maledictionis. Ergo. 2. Omne genus est specie prius natura. At prædestinatio non est prior Electione. Ergo prædestinatio non est genus Electionis. Nam Apostolus in ordinaria hujus disputationis sede Ephes. 1. utrunque vocabulum eodem sensu verbis immediatè connexis usurpat, & utramque Electionem dico & prædestinationem ab æterno factam esse confirmat v. 4. 5. quanquam, si vocabulorum vim excutiamus, non invicè fateamur, Electionem gratiæ & prædestinationem tripliciter differre, ratione ordinis, objecti, contrarij: de his videatur Clariss. Dn. Præses in Phil. Sob. contra Calvin. pag 411. quæst. 3. edit: Lub.

IV.

Quare transversum hic it à majoribus suis vi veritatis compulsus Petrus Martyr in loc. fol. 828. dicens; *Reprobato idcirco à prædestinatis separo, quod scripturæ homines damnandos nunquam, quod ego sciam, appellent prædestinatos, quam sententiam ego, etsi rationem non viderem, tamen sequendam esse arbitrarer propter auctoritatem Verbi DEI.*

V.

Suffragatur Keckerm. prædestinationem propriè sub se continere Reprobationem ideo negans, quia prædestinatio sit ordinatio rei ad finem omnis autem finis bonus est, vel perfectio rei. Damnatio verò non est bona, sed ultimum malum: quare ad illam tanquam ad finem præordinantur vel prædestinantur.

VI.

Nec est quod Piscat. Vol. 2. pag. 147. th. 20. palpum oraculo illo Actor. c. 4. v. 28. obrudere gestit, Herodes & Pilatus conveniunt facere quæ manus DEI ~~regit~~ hoc est prædestinavit. At enim quis non hic, nisi cui cerebrum in calcaneo & iudicium in pedibus hæreat, iudicet, non agi in oraculo hocce de aliqua hominum infidelium ad æternam damnationem Reprobatione, sed saltem de decreto & præordinatione mortis & passionis Christi.

VII.

Quod petrus Martyr in locis animadvertens fol. 823. ait, *ceterum sacra litera hanc vocem nõ facile usurpant, nisi de Electis, quamvis in*

462
vis in cap. 4. Actor. legatur, convenerunt ad faciendum, quodcumq; manus
tua & consilium prædestinaverat, ut fieret: quæ tamen verba si ad mor-
tem Christi referantur & humani generis Redemptionem, extra salutarem
Electionem non egrediuntur.

VIII.

Vana consimiliter est instantia Bezae in qu. Vol. r. fol. 684.
Si vasa gloriæ dicuntur prædestinati ad gloriam, poscit omnino contradi-
centium oppositio, ut vasa iræ interpretemur prædestinatos ad mortem.
Cur non etiam, mi Beza, hoc modo: Vasa gloriæ dicuntur Ele-
cti ad vitam, Ergo vasa iræ dicuntur electi ad mortem, ἀπορον
hoc, ergo & illud. Imò contrarium infero. Electio sanctorum
est prædestinatio, Ergo reprobatio obstinatorum non est præde-
stinatio, quia, monente Keckermanno, pugnantium non sunt ea-
dem genera proxima. En quis non sententias Calvinisticas He-
racliti & Anaxagoræ esse dicat, quæ seipsas tollant.

IX.

Quicquid tandem Adversarij prædendant, certum manet
hoc & in dubitatum, quod acceptione biblica Electio & præde-
stinatio æquè latè pateant & synonyma sint, ita ut omnes & soli
Electi sint prædestinati, & contra. Breviter. Sensus calvinisticus
hospes est in sacra scriptura planè incognitus; quamobrem plu-
ribus non persequemur ad quæstionem secundam deproperan-
tes.

QUÆSTIO II.

Num prædestinatio sit absoluta?

Cathedra Calvini in affirmativam descendit sententiam.
Sic enim piscator Vol. r. Loc. 29. th. 25. è stoto cerebelli sui Ly-
pipipio cruciat. Nemo ad vitam æternam prædestinatus est conditiona-
liter, si crediderit, sed quot quot ad eam prædestinati sunt, absolute &
simpliciter prædestinati sunt: ita, ut etiam ideo credant,
quia prædestinati sunt; hujus fidelissimus & Zanch.
B Zanch.

Zanch. Tom. r. mis. fol. 24r. concordat, *questio est, dicens, an ho-
mines prædestinati sint ad vitam, idq; non conditionaliter, si crediderint,
ut novi quidam Pelagiani docent, sed absolute? respondeo, Maximè.*

II.

Piscator, quem modo in proscenium duxeramus in Disp.
contra Schaff. th. 88. *Voluntas perdendi & salvandi in Deo est absolu-
ta non pendens ab ulla conditione: Infinitæ præterea cacodoxæ ad-
versariorum assertiones, quas si coacervare hic velim, vix mul-
ti nobis quaterniones sufficerent; & quanquam errores hosce
recitasse sit tanquam refutasse, nihilominus eorum pepones ad
stateram sacri codicis appendamus, quamq; in fumos abeant, se-
quentibus saltem dictis evincemus. Esto igitur primum,*

III.

1. Marc. 16. v. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit: salvus erit, quò
verò non crediderit, condemnabitur.* 2. Joh. 1. v. 12. *Quotquot recepe-
runt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri, hi qui credant in nomen
ipsius.* 3. Joh. 3. v. 18. *Qui credit in filium non judicatur, qui autem non
credit jam judicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij DEI.* 4.
1. Cor. 1. v. 21. *Quia in DEI sapientia non cognovit mundus per sapienti-
am Deum, placuit Deo per stultiam prædicationis salvos facere credentes.
Cui* 5. Consentit Jac. 2. v. 5. *nonne Deus elegit, inquit, pauperes
in hoc mundo, divites in fide, hoc est credentes; è quibus omnibus li-
quidò apparet, Dei ad vitam nos eligentis voluntatem, consili-
um, ac beneplacitum nõ esse absolutum, sed in fide Christi or-
dinatum.*

IV.

Addimus sequentes collectiones. 1. *Quale propositum
salvandi est, talis est quoque ipsa electio, At propositum salvan-
di non est absolutum, Ergo ipsa quoque Electio seu prædestina-
tio absoluta non est. Major confirmatur Ephes. 1. v. 11. Minor
Johan. 6. v. 39.* 2. *Si beneplacitum Dei absolutum non est, ipsa
quoque electio absoluta non erit. At beneplacitum Dei non est
absolutum, sed in Christo. Matth. 3. v. 17. & fide Heb. 11. v. 6. or-
dinatum. Ergo ipsa etiam prædestinatio absoluta non est: vel sic.
Electio facta est in Christo Ephes. 1. v. 4. & in fide 2. Thess. 2. v. 13.
Jac. 2. v. 5. Ergo non est facta absolute.*

V. Indè

Indè rectè Sohnius (licet alias sui oblitus) ait Disp. 12. *ut causas Electionis intelligamus, hæ tres hypotheses tenenda sunt. I. Nec ex lege nec ex ratione judicandum est de Electione, sed ex Evangelio II. Totus numerus salvandorum propter Christum electus est. III. Non alia justificationis quam electionis causa est.* Idem Tom. 1. p. 258. *Deus non simpliciter homines creatos aut corruptos ad vitam elegit sed homines vocatos ac fideles, quos præscivit.* Et Aretius part. 2. problem. pag. 336. phrasin absolutæ prædestinationis improbat.

V I.

Argumentamur ulterius. Quodcunque Christi merito, & fide electorum limitatur hætenus absolutum dici nequit. At prædestinatio morte Christi & fide electorum determinatur, ut modò probatam dedimus, Ergo. Quamvis Keckerm. in syst. Theol. pag. 301. & Pet. Martyr fol. 385. cum aliis negitent fidem ingredi decretum Electionis, sumi tamen sunt, qui solum sacram literarum testimoniis supra à nobis allegatis dispelli queant, utpote est, Ephes. i. v. 4. *Qui prædestinavit nos &c.* Unde sic colligo. Quicumq; eliguntur, in Christo eliguntur. At in Christo nemo est nisi per fidem. Ergo quicumque eliguntur, per fidem eliguntur: item Ephes. i. v. 4. 5. *Prædestinatio est actio gratiæ, qua gratificavit nos in dilecto Jesu Christo ante tempora secularia. Actio autem illa gratiæ seu χάριτος non potest esse sine consideratione fidei.* Ergo ipsa etiam prædestinatio non potest esse absq; consideratione fidei. Assumptio. quia nec Christus absque fide ad salutem homini prodest, nec gratiæ seu misericordiæ datur locus, nisi ad plenum justitiæ divinæ satis fiat, quoniam verò propria satisfactio hic nos deficit, aliena Christi justitia & satisfactio per fidem imputata accedat necesse est: ipsius ergo fidei consideratio prædestinationis mysterium ingrediatur oportet.

V I I.

Nec est alicujus momenti quod Piscator nobis objicit in q. Illust. & Martyr. 835. *Illud quod fit in tempore non potest esse causa ejus, quod fit ab eterno. Fides existit in tempore, prædestinatio ab eterno. Ergo fides prædestinationis causa esse non potest.* Respond. brevissimè: i. *Electio fit ἐκ χάριτος.* Rom. 8. v. 29. i. Pet. i. v. 12. Non igitur

B 2

fides



fides hic consideratur, ut actu in tempore existens, sed ut ab æterno præcognita, seu ut est in prænotione DEI. II. Meritum Christi ex parte est in tempore, ejus tamen consideratio mysterium seu negotium prædestinationis, nihilominus ingreditur: Sed eccum disquirere placet, num ex data hypothese Piscator & P. Martyr cum sociis ad vitam æternam electi sint, hoc modo: Si ob id fides non ingreditur decretum electionis, quia electio ab æterno, fides autem in tempore, ob eandem causam, nec Calviniam ingredientur, quia electio ab æterno, ipsi autem in tempore: At prius ajunt, Piscator, Martyr cum sociis Lampad. & Materno, &c. Ergo.

QUÆSTIO III.

An reprobatio sit absoluta.

I. De hac quaestione Piscator Herborenensis hunc in modum sermōcinatur in Disp. contra Schaff. *Reprobos liberrima sua potestate ad interitum & ignominiam sempiternam aptavit, ut justam suam iram exerceret.*

II. Et Ursinus pag. 468. *Reprobationis causa efficiens est liberum DEI beneplacitum, nam cum omnes naturæ filij iræ, perissemus omnes, si peccatum reprobationis causa esset. Non igitur in hominibus, sed in Deo est hæc causa: Voluntas nimirum DEI illustrandi gloriam suam, sicut dicitur, miseretur cuius vult, quem autem vult indurat. Etiam pater quia sic placuit tibi. Itaq; de individuis cur hic sit electus ille reprobatus, nulla alia dari potest ratio, nisi solum DEI beneplacitum.*

III. Itidem Musculus in locis: *Causa reprobationis non est nobis investiganda, est enim occulta, nec collocanda in futura reproborum malitia, sed soli voluntati DEI tribuenda, qui, ut elegit, quos voluit, ita re-*

fides

B

proba-

464
probat quos voluit: Videatur præterea Georg Spindlers nôtiger
bericht pag. 377. ibid. pag. 380, pag. 387.

IV.

Refutationem malè feriatæ adversariorum opinionis, quin
extra sacra scripturæ Scholam evagantis sequentibus institui-
talem: Qualis est electio talis etiam est reprobatio. Omnino po-
scit eadem contrariorum (inquit Beza) ratio, ut quo gradu constituitur
fides in decreto electionis, eodem prorsus statuatur incredulitas in decreto
reprobationis, in quaest. & Respons. fol. 68r. Electio non est abso-
luta, sed fit secundum prævisionem fidei. Ergo reprobatio ab-
soluta quoque non est.

V.

Ob quam causam quis reprobat in tempore, ob eam
quoque reprobandi ab æterno factum est decretum. At pro-
pter incredulitatem Judæi in tempore actu reprobantur. Rom.
ii. v. 20. 21. 23. Ergo propter incredulitatem ab æterno factum
est reprobandi decretum.

VI.

Hujus sententiæ asseclam nolentem volentem sacra scri-
pturæ evidentia compellum nobis habemus Ursinum: sic enim
hic pag. 141. *Causa cur non omnes per Christum serventur est homi-
num infidelitas, quia beneficia Christi in Evangelio oblata repudiant, eoq;
non Christi sed sua culpa pereunt.* Idem dicit Gualtherus in Johan.
fol. 48. Sohn. tom. i. pag. 258. Disputat. 12. thes. 16. Beza Vol. 1.
fol. 680.

VII.

Liquet ergo indè, tum ex adversariorum tum sacra scri-
pturæ assertionibus decretum electionis & reprobationis non
esse absolutum à solâ voluntate Dei dependens, sed quemadmo-
dum Deus in electionis decreto certum observavit ordinem me-
diorum, ut qui illum ordinem sequuntur salvi fiant, ita cum hac
conditione reprobationis decretum fecit, ut qui ordinem istum
mediorum salutis aspernantur à facie sua abjiciantur, sicut enim
Deus perditionem hominum simpliciter non vult, sed peccatis
hominum eam adscribit, ut ex locis. Ezech. 33. 11. Oseæ 13. 9. &
aliis apparet, ita etiam reprobationem simpliciter & absque in-
terve-

B 3

terve-

terveniente caussa alia non vult, nam perditio & reprobatio hominis coherent ut finis & medium ordinatum ad finem. Cui unum horum absolute & simpliciter non tribuitur, huic alterum etiam simpliciter & absolute adscribi non debet: Hinc Fulgent. lib. 1. ad Monim. scribit. *Ostensusus Deus, quid reddendum presciverit, & quid donandum predestinaverit, illos ad supplicium, quos a se presensit voluntatis malo vitio discessuros.*

VIII.

Quin patres conscripti Synodi Dordracenæ verè quidem ag rectè pag. 5. inquit, *in redulitate istius, ut & omnium aliorum peccatorum caussa & culpa neutiquam est à Deo, sed in homine, veruntamen eadem paginâ sibi statim contradicentes, eructant, quod autem aliqui in tempore fide à Deo non donantur, id ab eterno ipsius decreto devenit*: ecce secundum synodum decretum istud DEI æternum est in caussa cur omnes homines non credant. E quoque est in caussa cur isti sint increduli, & proinde hætenus est caussa *ἀπιστίας*, confer pag. 20. 36. Synod.

*Synodus Dordracena
sibi contraria est.*

IX.

Titubanter hærent Calviniani in hac doctrina de Reprobatione, quo se tandem vertant nescientes, quod simul variæ & intricatæ ipsorum in hoc genere distinctiones (quæ omnes brevitas caussa hic transeant, de quibus Clariss. Dn. Præses in Colleg. Antropol. Dec. 2. videri potest) oculitè evincunt, quarum tenebris se involvunt, haud aliter ac sæpiæ, quæ si à piscatoribus se peti senserint, mox effuso sanguine nigro infuscatâ aquâ se artificiosè abscondunt.

X.

Multò autem rectiùs sibi & posteritati *parcastæ illi* confulerent, si Deo gloriam darent, & cum Pareo Prof. Heid. (utinam seriò amplecteretur) in Epistola ad Rom. sine titubatione persisterent: ita vero Pareus: *Iustus iudex aliam decernendâ, aliam exequendâ in adulterium capitalis sententiæ caussam non habet, sed eandem utriusq; nempe capitale illius flagitium, alioqui vel in decernendo, vel in exequendo supplicio iustus non videretur.* Deus igitur quam in tempo-

465
tempore causam habet, reprobis damnationem infligendi, nempe ob peccatum admissum, eandem ab eterno eos ad damnationem ordinandi habuisse videtur.

QUÆSTIO IV.

§ Num Deus omnium hominum salutem serio & ardentem expetat?

I.

Blasphemè inficiantur ex serie Calvinianâ Coriphæi Piscator Vol. 1. loc. 20 thes. 29. Et Petrus Martyr in loc. fol. 859. Hic; Deum efficienter non velle salutem omnium demonstrant infantes plurimi, qui pereunt extra Christum, multi etiam qui nascuntur surdi & muti, & in vita sua nunquam justum rectumq; rationis usum habuerunt.

II.

Ille, impia est eorum sententia, qui affirmant, Deum omnes & singulos velle salvos fieri, nec tamen omnes salvos facere: quid enim hoc est aliud, quàm dicere, Deum quidem id velle, sed quod vult efficere, non posse, cum quicumq; aliquid vult, idem efficiat, si non impediatur, & idem Vol. 2. loc. 21. th. 22.

III.

Orthodoxam affirmativam sententiam ex sacro sancto juramento Dei religiosissimè attestantis, & solenniter jurantis adstruimus: Ezechiel. 33. v. 11. Vivo ego nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à via sua & vivat: inde sic argumentor: Deus aut vult ut peccator, qui moritur in peccatis, non moriatur, aut nō vult; Si vult ut non moriatur peccator, qui tamen moritur, Ergo aliqua sunt, quæ aliter fieri, quam fiunt, Deus vult. Si verò vult, ut peccator moriatur, quomodo jurejurando affirmat, se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: item: Si Deus ex hypothesi Calvinianorum ea quæ fiunt nunquam voluit, ut aliter fierent, sequitur, quod Deus adulterium & homicidium Davidis & om-

& omnia flagitia hominum voluerit, nunquam autem, ut non fierent, voluisse: posterius impium & Christianis auribus indignum E. & prius.

IV.

Distinctio voluntatis signi hîc locum non habet; nec solutio Johannis Piscatoris militat, qui de convertibili peccatore, nec autem de eo, qui actu moritur, Deum loqui ait in Disp. de præd: Loquitur etiam Deus de iis, qui actu in peccatis sine conversione moriuntur: nec secundum alios, de temporali morte propheta verba facit, sed de illa ipsi sermo est, quæ per pœnitentiam devitari potest, ut nempe homo conversus vivat, non moriatur, sicut verba clariora sunt, quam ut ullo fumo humanæ depravationis obnubilari valeant: retunditur potius adversæ partis opinio, illo modo: si De natura voluntatque adversum est, ut quis temporali saltem morte moriatur, quanto magis quin ineffabiliter magis adversabitur ipsius beneficæ voluntati ut quis æternis & non finiendis torqueatur suppliciis; *Non letatur hominum interitu, sed avarus est salutis nostræ*, ut loquitur Augustinus pag. 100.

V.

Juramenti, quod modo attigimus, quodq; unicum deberet controversiæ totius inter nos & prædestinarios finis esse, & dijudicationis indubitata regula, uberioris confirmationis ergo Apostolus Hebr. 6. v. 16. à minore argumentatur ad majus, inquit, *homines enim per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum, in quo abundantius volens Deus ostendere nobis firmitatem consilij sui & voluntatis suæ interposuit hoc jus jurandum ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset ut mentiretur Deus, validam consolationem haberemus: & hanc sententiam jurantis Dei omnibus hominibus aptari posse orthodoxè censemus, quicquid enim scriptum est, propter nos est scriptum in quos termini ætatum inciderunt. 1. Cor. 10.*

VI.

Nec quicquam efficiunt Adversarij, quando dicto illi. 1. Tim. 4. v. 9. peregrinum sensum induunt, quasi scilicet intelligi debeat,

debeat, de omnis generis atque ordinis hominibus, de generibus singulorum, non de singulis generum, *nicht von allen/sondern nur von allerley*: fumi sunt, quos sacris literis cum D. Chemnitzio. b. m. viro de Ecclesia Dei meritissimo dispellimus, quem etiam, ejus pietatem & ἀνεπίβειαν simul admirantes, hic imitatur; Sic enim b. Viri habent verba part. 2. l. c. p. 355. *Ne speculationibus de prædestinatione turbetur doctrina justificationis, notanda & expendenda sunt in singulis membris sententiæ universales.* I. *Quod filius DEI mediator animam suam posuit redemptionem pro omnibus.* I. Tim. 2. v. 6. Joh. 2. v. 2. II. *Quod DEI patris voluntas est ut nemo pereat.* 2. Pet. 3. v. 9. *Sed omnes per Christum salventur.* I. Tim. 2. v. 4. Et quidem additur ratio, quia unus est Mediator, qui animam suam posuit redemptionem pro omnibus, ergo eodem modo vult omnes salvari. *Non autem animam posuit tantum pro generibus singulorum*: Non igitur vera est explicatio, vult omnes salvari, id est, ex omnibus ordinibus aliquos III. *Spiritus Sanctus in ministerio universaliter omnibus annunciat pœnitentiam & remissionem peccatorum.* IV *Universale mandatum DEI ut omnes vocem Evangelii audiant, & promissionem fide amplectantur.* V. Omnes qui credunt in Christum sine omni discrimine & exceptione accipiunt remissionem peccatorum, & salvantur.

VII.

Ex abundanti sequentem ponimus syllogismum summam responsionis ad quæstionem propositam continentem: hic ergo esto: 1. Quos Deus ad imaginem suam condidit. 2. Sub incredulitatem & peccatum conclusit. 3. Ad pœnitentiam reverti. 4. Ad filium venire. 5. Et hunc ad illos voluit, adeoque. 6. eo fine creat, & 7. vocat hos certè vult salvos fieri, palet. I. ex imaginis divinæ definitione Apostolica. Eph. 4. v. 24. II. Rom. 5. v. 20. c. II. v. 32. III. Ex. 2. Petr. 3. v. 9. IV. Ex Matth. II. v. 27. V. è Joh. 3. v. 17. VI. Eccl. 15. v. II. Esa. 49. v. 15. VII. è Luc. 24. v. 47. At. I. Deus in primo Adamo protoplasta omnes deuteroplastas ad imaginem suam condidit. II. Omnes sub incredulitatem conclusit. Rom. 2. v. 12. c. II. v. 32. Conclusit non causaliter sed judicialiter. ex Gal. 3. v. 22. III. Ad pœnitentiam reverti voluit, non

C

tantum

tantum ad μετὰ μέλειαν sed & μετάνοιαν 2. Petr. 3. v. 6. 9. etiam re-
probos Rom. 2. v. 4. IV. Ad filium venire voluit Jerem. 35. v. 15.
Matth. 11. v. 28. Ubi nova quorundam Calvinianorum gramma-
tica est, venientes, pro venturis substituentium, credulum ca-
put, quod capiat. V. Et hunc ad illos, Matth. 18. v. 31. Luc. 19. v. 20.
Johan 3. v. 9. c. 6. v. 39. c. 12. v. 47. VI. Sap. 11. v. 25. Diligis omnia
quæ sunt &c. Hinc: Impossibile est rem simul unam contra-
riis creari finibus: At labi & salvari sunt contrarij fines. Ergo si
hominem condidit ut per Christum salvaretur, non condidit il-
lum ut in mortem laberetur. VII. Et vocat omnes Luc. 24.
v. 47. Universalis est vocatio, tum quoad intentionem DEI, fru-
strâ operosè contrarium probantibus Calvinianis Perkinsio,
Bremensi Pierio, & quatuor libris integris Jetzlero: quibus ta-
men contradicunt, Sohnius, Castellio Gualtherus Hyperius, &
ipse Calvinus: Universalis etiam dico, tum quoad ipsum actum:
Nam tribus vicibus totum mundum & omnes homines, adeoq̃
universum genus humanum per vocem externi ministerij voca-
vit Deus 1. In protoplastis. 2. In familia Noachi. 3. Tempore
Apostolorum & declinante nunc sole Marc. 16. Act. 17. Rom. 10.
Col. 1. quo ipsi Apostoli ipso quoque actu omnibus Evangelium
prædicarunt, non ut Jacobus ad portam blaterat exceptis Ame-
ricanis, aut quibusvis remotioribus populis: ita enim arguen-
tatur: *Mandato Christi, quo iussit Apostolos ubivis Locorum docere.*
Marc. 16. v. 15. *Apostoli fuere aut obedientes aut inobedientes: Si obedi-*
entes. Ergo Evangelium fuit prædicatum apud universam creaturam,
Si non, ergo falsum dicit Evangelista id asseverans ibidem v. 20. Resp.
hoc si maximè probaverit Adversarius, scilicet hodiè esse plures
gentes quæ Christi nomen ignorant, tamen extra chorum salta-
bit, neque enim tam de moderno, quàm Apostolorum tempore
quæstio est, ubi inter ipsam vocationem & dispositionem actus,
quorum illa universalis, hæc arbitraria: inter vocationem mate-
rialem & formalem, inter gratiam negatam & retardatam accu-
ratè distinguimus, quæ per occasionem sciscitanti fusiùs, bono
cum Deo, in ipso disputationis actu demonstraturi sumus.

Quæstio

QUÆSTIO V.

467

S *An meritum Christi sit universale?*

I.

Huic quæstioni de universalitate meriti Christi è diametro negativam inferunt Cingliani, Licet Kimedont. in synopsi injuriam suis gregalibus hîc fieri quiritetur, lachrymæ tamen sunt crocodyli, quas Beza blasphemè ex Sabaudia sua detonans abtergit: ita enim: *Iterum dico & cum Ecclesia DEI profiteor, falsum, blasphemum, impium esse, Christum, sive quoad DEI consilium attinet, sive quoad effectum, non minus pro damnandorum, & aeterno judicio ad judicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfacisse, quam pro peccatis Petri Pauli & omnium sanctorum.* Resp. 2. ad act. Colloq. M. p. 221. In th. Theolog. Geneu. 13. sic idem loquitur; *sive consilium DEI sive passionis effectum, sive utrunq; spectaveris, pro impiis nullo modo est mortuus; & in colloq. Mompelg. pag. 54. intolabilem nominat vocem, Christum pro damnatis esse mortuum.*

II.

Hujus metalli emblema habetur apud Piscatorem in Disp. contra Schaffm. thel. 110. *Christus pro reprobis nullo modo mortuus est, sive sufficienter, dicas, sive efficienter similia habent alij Calviniani, utpote Petrus Martyr in Loc. fol. 817. Bucan. in instit. pag. 427. Pareus in adit. ad Catech. Ursin. p. 303. Vorst. in Thess. p. 2, 19. Zanch. tom. 1. Miscel. pag. 298.*

III.

Nos *Φλυαρίας* adversariorum nihil morantes cum sacris literis, luce meridianâ æstivali clariùs in nostram sententiam descendentibus affirmamus, *meritum Christi prorsus universale esse, tam intensivè quàm extensivè, tam sufficienter quàm efficienter.* Esa. 53. 6. Joh. 1. 29. 1. Joh. 2. 2. 1. Cor. 15. 22. 2. Cor. 5. 5. 1. Tim. 2. 6. 1. Tim. 4. v. 10.

IV.

Nec tantillum Piscator efficit, quando *Christum sufficienter*

C 2

quidem

*Disputat sibi contra
dicit.*

quidem sed non efficienter pro omnibus mortuum esse dicitur, cum ta-
men alibi sibi contradicat, dicendo, distinctionem hanc speciem qui-
dem habere eruditionis, sed esse revera ineptam: negari quidem à no-
bis non potest, scholasticos hac distinctione usos esse, sed sensu
longè alio: hi enim quando Christum non pro omnibus mor-
tuum esse dicunt efficienter, tantùm de Applicatione mortis
Christi & efficientia respectu horum loquuntur, non enim om-
nes meritum Christi apprehendunt, unde peccatum ipsorum
non tollitur, sed manet, Johan. 9.

V.

Cingliani verò simpliciter negant, quoad intentionem, &
consilium DEI Christum esse pro impijs mortuum, ut ex supe-
rioribus allegatis liquet; placuit enim DEO universum genus
humanum singulosque homines in Adamo perditos in Christo
recolligere & sibi reconciliare: Eph. 1. v. 10. Colof. 1. 20. Ex quo
æterno suo beneplacito filium suum ordinavit redemptorem
mundi, qui pro hoc æterni patris proposito in mundum venit,
& factus est victima pro omnibus & singulis, & quid clariùs dici
potuisset isto aureo Servatoris aphorismo, *Sic Deus dilexit mun-
dum, &c.* Joh. 3. v. 16.

VI.

Objicis illud Bezae figmentum, quasi mundi vocabulo
συνεδοχικῶς electi denotentur: requirimus putidi hujus inven-
ti exempla scripturæ ἀμετάπτωτα, qualia nondum proferre disci-
puli Bezae potuerunt: Contrariam potius significat mundus, re-
probos scilicet & induratos Christi hostes, Johan. 17. v. 9. non
pro mundo rogo. Johan. 15. 19. Vos non estis de mundo Joh. 1. 10.
mundus eum non cognovit: quid, quod in fumos hoc effugium
Locus Apostolicus 1. Johan. 2. dissipat: *ipse est propitiatio pro pecca-
tis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi:*
quin si mundi vocabulum fideles tantum indigiret, turpissimus
κοκῆσμός, autoritate Apostolicâ indignissimus emerget, hic
nempe: Christus est propitiatio pro peccatis fidelium, non pro
fidelium tantum, sed & pro fidelium. magistralis interpretatio.

Memora-



Memorabilis etiam est locus. 2. Pet. 2. 1. In vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum, negant. Quomodo verò emit? non estis redempti corruptibili auro vel argento, sed pretioso sanguine agni immaculati & incontaminati Christi, inquit idem 1. Pet. 18. v. 19. illos verò Christi sanguine emtos celerem sibi damnationem superinducere, & perditionem eorum non dormire, Petrus asserit. 2. Pet. 2. v. 1.

IIX.

Quod verò alibi dicitur, Christum se exposuisse pro Ecclesia sua. Ephes. 5. v. 25. sanctificasse morte sua populum suum. Ebr. 13. vers. 12. mortuum esse pro filiis DEI dispersis. Johan. 11. v. 52. animam ponere pro ovibus. Johan. 10. vers. 15. servare populum suum ex peccatis ipsorum. Matth. 11. v. 21. Dare animam suam pretium pro multis Mar. 10. v. 25. Unde piscator suas coacervat rationes disp. de prædest. thes. 58. & seqq. Verum sciendum nullam in illis commemoratis dictis particularitatem meriti Christi inferri consilio fine & intentione DEI, sed applicatione sive fructu passionis differi, qui tantum ad fidelem Dei in Ecclesia populum extenditur; dedit enim potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomen ejus. Joh. 1. 12. καὶ ἐξ ὧν passionem suam Christus electis tribuit, & populo, per fidem, suo, quia hinc frugifera est, interim ratione beneficiorum mors Christi ad omnes pertinet omninò homines. Distinguendum ergo inter objectum mortis Christi totale, & præstantius, &c.

IX.

Addimus unum atque alterum syllogismum 1. Si meritum Christi pro omnibus præstitum est, verè est, & dici debet universale; Atqui meritum Christi omnibus & pro omnibus præstitum est. Ergo. probatur Rom. 5. v. 18. uti supra & 1. Corin. 15. v. 27. 2. Quod ad mundum & quidem totum se diffundit, ad fidelium paucitatem contrahi non debet. Reconciliatio & propitiatio facta per Christum, ad MUNDUM, & quidem TOTUM se diffundit. 2. Corinth. 5. v. 19. Iohan. 2. vers. 2. Ergo.

C 3

3. Si

3. Si reprobi ideò damnantur quia non credunt in filium DEI,
ejusque meritum & Beneficia spernunt, sequitur filium Dei cum
suo merito & beneficiis etiam ad reprobos pertinere. Verum
antecedens, Verum igitur & consequens. Conseq: nemo enim
damnatur ob neglectum ejus rei, quæ ad ipsum non pertinet;
Assunt: damnantur enim propterea, quod Christum fide non
amplectuntur, sed beneficia ejus spernunt & per incredulitatem
à se rejiciunt. Iohan. 3. v. 18. 36. Et tantum.

Tibi verò Jesu Christe crucifixe ignominiosissimis atrocis-
simisq; tormentis pro nobis dilaniato, proq; nostra universali
reconciliatione in holocausti hostiam Deo patri, (qui nos in te
ante tēpora secularia elegit) tuo oblato, ex toto pectoris scrinio
pro universali redemptione, quas potest mens pia concipere gra-
tes agimus: teque eundem ardentissimis suspiriis cum patre &
spiritu tuo sancto per quinque sanctissimos augustissimosque
vulnerum fontes, quos ad extremam cordis tui guttam una cum
vita nobis profudisti, precamur, Eia veri instar Pelicani nos om-
nes tibi obtemperantes serioque tua vulnera applicantes vivifi-
ca, sanctitate tua imbue, æternæque vitæ gaudium nunquam
cessaturis frui dignare. Fiat, Fiat Domine Iesu
propter universale meritum tuum,
Fiat. Amen.





E Mbryo qui densis condebar adusq; decennis
 Egredior, nebulis, jam modo, CALVE,
 tuis;

Egredior serò; perfectò tramite partus
 Ambulo, sed verè tramite sub fidei;
 Scilicet augustâ retulit quam mente LÛTHE-
 RUS

Israëliticis fontibus ipse sacris;
 Quodq; his innitor, quod tanquã sanguine vescor
 Et succo, JESU, gratia mera tua est;
 Hinc te perpetua maneat in secula grates,
 Inde mihi maneat gratia, CHRISTE, tua;
 Siq; tibi grates, mihi si tua gratia, abundant,
 Talio nonnè satis splendida utriq; foret?

Soli Deo Gloria.



Soll Deo Gloria

1683



Umg. VI 23


= [Dissertationes
theol. Vol. 59]


ULB Halle 3
002 386 852


Sl. 26

Folio
VD 77








B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue



T A S
ILLUSTRUM
ERS ARUM

458
72

INATIONE

ante gratia
sitate VVittebergensi

ESIDIO
rissimi & Excellentissimi

ARIS MEISNERI,

t. & Profefs. Publici,
is ac promotoris sui
suspiciendi.

am exhibet
CULMANNUS
Westriac, Palatin.

boris Pomeridianis
7. Januarij.

BERGÆ
IS GORMANNI.

DC XXII.

